



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

rum, malitiam detestandam si quando juxta debitum &c. in eundem modum ut supra usque in finem. Datum ut supra.

Eidem.

Epist. 34.  
Vide supra epist. **C**um pro quæstione archidiaconatus Veronensis Ecclesiæ de quo dilectum filium G. Subdiaconum nostrum Canonicum basilicæ beati Petri investierat dilectus filius G. tituli sanctæ Mariae Trans Tyberim Presbyter Cardinalis, cùm in Lombardiae partibus legationis officio funderetur, tu & idem G. in nostra essetis præsentia constituti, & coram nobis & fratribus nostris super attestacionibus quæstionis ejusdem, quæ de mandato nostro fuerunt in Lombardia receptæ, fuisse aliquandiu disceptatum, tandem eodem G. omni juri quod ex institutione facta per Cardinalem prædictum & electione per Canonicos Veronenses in Archidiaconum Veronensem habebat, in manibus venerabilis fratris nostri Octaviani Ostiensis Episcopi & dilectorum filiorum B. tituli sanctæ Cæciliae & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyterorum Cardinalium renuntiante omnino tu & idem G. eorundem Episcopi & Cardinalium de licentia nostra vos arbitrio commisisti, qui deliberato consilio dictum G. Canonicum Veronensem Ecclesiæ instituere curaverunt, & ad augmentandos redditus ejus in ipsa Ecclesia tantum dari eidem à te de redditibus episcopalibus præceperunt unde centum libras Veronenses recipiat annuatim. Nos igitur quod per prædictos Episcopum & Cardinales deliberatione provida de licentia nostra & communii fratum nostrorum assensu dinoscitur esse factum, ratum habentes, eorum arbitrium, sicut est sine pravitate collatum, & ab utraque parte sponte receptum, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo. Datum ut supra.

*Bitturicensi Archiepiscopo, Episcopo Nivernensi, & Abboti Cluniacensi.*

Epist. 35.  
Quomodo procedendum sit,  
adversus suspectos de heresi.  
Vide lib. 2. epist.  
43. 99. & lib.  
10. epist. 206. **A**ccidentes nuper ad apostolicam sedem burgenses de Charitate contra venerabilem fratum nostrum Altissiodorensis Episcopum querimoniam intenderunt, asserentes quod cum olim idem Episcopus in eos tanquam suspectos de heresi excommunicationis sententiam promulgasset, ipsi tandem ad dilecti filii nostri P. tituli sancti Marcelli Presbyteri

Tom. I.

Cardinalis apostolicae sedis Legati presentiam accedentes, juraverunt se mandatis Ecclesiæ parituros. Vnde Cardinalis ipse in Concilio apud Divionem habitu præsentibus multis Archiepiscopis & Episcopis eos tam ab excommunicatione quam infamia prorsus absolvit, & penitentiam eis competentem injunxit, quam ipsi postmodum humiliter compleverunt. Cumque sicut eis injunctum fuerat ad nostram præsentiam accessissent, de processu negotij per Cardinalem eundem redditi certiores, pro ipsis venerabilibus fratribus nostris Eduensi & bonæ memoriae Matronensi Episcopis & tibi, fili Abbas, nostras curavimus literas destinare, ut eos, qui ad præsentiam nostram accesserant, denuntiaretis auctoritate nostra catholicos & fideles, nec permetteretis eos ab aliquo super erroris infamia propulsari, dummodo nihil de cetero contra fidem catholicam machinentur opere vel sermone. Mulieres autem quasdam de Charitate, quæ pro simili causa nostro se conspectui præsentarunt, & nos eis feceramus beneficium absolutionis impendi, senes quoque ac valerudinarios, & mulieres, quos hac infamie nota resperserat, & propter hoc fuerant vinculo excommunicationis astratti, vestræ discretioni commisimus, ut statueritis de ipsis quod videretis secundum Deum & fidem catholicam statuendum. Verum dictus Altissiodorensis Episcopus nec sic ab eorum molestatione desistens contra eos primò ad venerabiles fratres nostros Parisiensem, Suescionensem, & Silvanectensem Episcopos, secundò ad dilectos filios Decanum Parisiensem, Magistrum scholarum Aurelianensem, & Magistrum P. Werel. literas impetravit. Cum autem secundi judices attendentes quod per literas directas ad ipsos primas non fuerant literæ revocatae, burgenes ipsis à jurisdictione sua penitus abolivissent, intelligentes burgenes ipsis quod idem Episcopus malitiosa ageret contra eos, cum ut gravaret famam eorum, ad diversos judices literas impetraret, nec causam prosequeretur postmodum coram ipsis, ad nostram audientiam appellarent. Supervenientes autem supradictus Episcopus proposuit ex adverso quod cum olim prædicti burgenses super heretica pravitate fuisse malam fama respersi, nec ipsius se voluerint conspectui præsentare, qui propter hanc causam frequenter ad villam eorum de Charitate cum multis viris religio-

K K k ij